INDEX SCHOLARVM

QVAE

SVMMIS AVSPICIIS

REGIS AVGVSTISSIMI

G V I L E L M I

IMPERATORIS GERMANIAE

IN

VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA

PER MENSES AESTIVOS ANNI CIƆIƆCCCLXXXIII

A DIE XVI MENSIS APRILIS

PVBLICE PRIVATIMQVE HABEBVNTVR

INSVNT EDVARDI LVEBBERTI
PROLEGOMENA IN PINDARI CARMEN PYTHIVM NONVM.

BONNAE
TYPIS CAROLI GEORGI VNIV. TYPOGR.

RECTOR ET SENATVS

VNIVERSITATIS FRIDERICIAE GVILELMIAE RHENANAE

CIVIBVS

S.

1. Pindari in carmine Pythio IX. dictum: Tempus opportunum in omnibus rebus principatum tenere.

Pindarus carmen Pythium IX. Telesicrati, Carneadae filio, Cyrenaeo scripsit anno 478 a. Chr. De eius carminis summa sententia cum alii aliter statuerint, speciosissime ante hos tres annos Fridericus Mezger in libro luculento „Pindar's Siegeslieder" p. 250, praeeuntibus Dissenio et L. Schmidtio („Pindarus" p. 171), exposuit, qui summi ponderis in hac oda illud dictum iudicat, quod praecepti aurei instar poeta in medio ferme carmine collocavit, v. 78 ὁ δὲ καιρὸς ὁμοίως || παντὸς ἔχει κορυφάν, tempus opportunum in omnibus rebus principatum tenere. Hanc sententiam ad Telesicratis vitae conditionem ita, Mezgero iudice, poeta accommodavit, ut Telesicratis vitae aetatem florentissimam et victoriarum, fortitudinis testium, gloriam rei cuiusdam praestantissimae et maxume tempestivae omnes numeros in se continere ostenderet: iustarum nuptiarum, quae quam primum fieri possit, a iuvene egregio capessendae sint. Hoc consilium, quod haud dubie poetae ipsi maxume cordi fuit, duabus pulchris fabulis commendatur: primum narratione de Apollinis et Cyrenae, Hypsei filiae, nuptiis, deinde fabula illa de Alexidamo, familiae Telesicratis in patria Cyrenis proavo, qui Antaei filiam Barcam, in cursus certamine cum rivalibus fortiter pugnando, sponsam sibi pararit. Quare totius carminis hanc principalem sententiam et hoc summum consilium esse Mezgerus statuit, ut primum in universum temporis opportuni summa in omnibus rebus vis et potestas illustretur, deinde ut Telesicrati persuadeatur, ut in ipso aetatis flore vitae iamiam suae dulcissimum decus adiungere ne cunctetur. Ac confirmatur haec sententia cum magna omnino probabilitatis specie, tum illis potissumum verbis, quibus poeta Telesicratem in publicis patriae certaminibus strenue pugnantem matribus inprimis curae fuisse dicit, quarum eum unaquaeque aut generum sibi aut filium exoptavit, v. 98 εἶδον ἄφωνοί θ' ὡς ἕκασται φίλτατον || παρθενικᾷ (παρθενικαί volgo, em. Bergkius) πόσιν ἢ || υἱὸν εὔχοντ', ὦ Τελεσίκρατες, ἔμμεν. Deinde recte Mezgerus

festinantiae cuiusdam et celeritatis, qua urgeat poeta amicum suum, studium in hoc carmine prodi observavit, cuius rei vocabula velocitatem indicantia saepius usurpata documento sint, velut αὐτίκα ter positum (v. 29. 57. 114), deinde v. 67 ὠκεῖα πρᾶξις, v. 114, ὠκύτατον γάμον, alia.

2. Tempus opportunum quem in mundo a dis optime constituto locum obtineat.

Haec omnia tam plane specioseque a Mezgero exposita sunt, ut valde placere possint. Attamen caussae nonnullae afferri possunt, quae quominus viri acutissimi et de Pindaro optime meriti sententiae plane subscribamus impediunt. Nam ut statim, quod mihi summum videtur, aperiam, Pindarus in hoc quoque carmine, ut saepe, id egisse videtur, ut ex Delphicae theologiae thesauris unam rursus aliquam nobis margaritam eligeret et spectandam proponeret, praeceptum aliquod vitae, quod non ad tempus, sed in perpetuum audientibus fructui futurum esset. Residet in Pindari animo aeternae cuiusdam harmoniae imago, a dis immortalibus conditae et per mundum sparsae, caelum terramque et vitam omnem complexae. Iam in carmine in Telesicratem scripto hoc sibi demonstrandum proposuit, ut, quem in illa harmonia locum ὁ καιρός, omnium rerum dominus, habeat, apertum fiat; eius vim et naturam expedit, quomodo ad clavom sedeat, docet. Quaerat aliquis, cur ad hanc potissumum quaestionem poeta delatus sit. Acciderat, ut assolet, opinor, casu aliquid in illo Telesicratis certamine Pythio, in quo temporis opportuni maxume vis enituerat. Cf. Dissenium ad Pyth. IX, 83 p. 316 edit. anni 1830. Tempori opportuno in certaminum discrimine plurimum a Graecis tribuebatur. Olympiae ara ei numini dicata erat; Paus. 5, 14, 9 βωμοὶ δύο· τὸν μὲν αὐτῶν Ἑρμοῦ καλοῦσιν Ἐναγωνίου, τὸν δὲ ἕτερον Καιροῦ. Possis huc etiam alterius ex equis Adrasti nomen revocare, nam duos eius currui tribuunt poetae; Antimachus apud Paus. 8, 25, 9 Καιρόν τε κραιπνὸν καὶ Ἀρείονα Θελπουσαῖον. Notum est, Adrastum ludorum curulium patronum, nonnullorum etiam auctorem fuisse, Pind. Nem. IX, 9; nomen igitur inventum a re in currendi certaminibus gravissima. Quare Telesicrates quoque temporis opportuni favorem in certamine expertus videtur. Hac re, quae fortuita videri poterat, ita Pindarus, qui est eius mos, usus est, ut statim ad leges aeternas, quibus vita nostra divinitus perfusa est, contemplationem erigeret.

Hunc igitur finem, hanc metam secutus triplicem iusti temporis rationem in vita deprehendi poeta ostendit; primum enim tempus iustum nimia plerumque et luxuriantia coercet et frenat; deinde iacentia et fracta erigit; denique perpetuo quasi cursu et flumine vitam comitatur, ut praeclare agendi tempus opportunum semper adsit, modo ipsi strenue illud apprehendamus. Atque haec non ratiocinando nec argumentando, arido ieiunoque stilo, Pindarus persequitur, sed illo dicendi genere, in quo singulae voces ipsius vitae sucum et colorem spirant. Primam illam iusti temporis vim, qua nimia coercet, egregia de Apollinis et Cyrenae amoribus narratione illustratur, in qua rei cardo non, opinor, vertitur in fervido illo Apollinis impetu, qua Cyrenae nuptias concupiscit, sed in Chironis

prudenti cohortatione, qua deum omnia scientem, sed prae amore sui oblitum, admonet, non vim afferendam esse virgini, sed blandis antea verbis amorem instillandum, paullatim pedetemptimque foedus iusti amoris iungendum esse, v. 39 Κρυπταὶ κλαΐδες ἐντὶ σοφᾶς Πειθοῦς ἱερᾶν φιλοτάτων, || Φοῖβε, καὶ ἔν τε θεοῖς τοῦτο κἀνθρώποις ὁμῶς || αἰδέοντ', ἀμφανδὸν ἁδείας τυχεῖν τοπρῶτον εὐνᾶς. Quid igitur aliud Chiron, quam καιρὸν expectare iubet? Alterum deinde, quod tempori iusto tribuitur, ut fractos erigat, egregie Iolai senis imagine illustratur v. 79—83, qui annorum onere oppressus, quom maximo cum dolore et indignatione Eurystheum liberos Herculis e refugio suo Thebano (O. Mueller, Dorier 1^2,56) abstrahentem videat, deos precatur, ut per unius horae sibi spatium iuvenile robur concedant. Adnuunt di immortales. Tum ille incomparabili vigore, quemadmodum brevissimo tempore immortale facinus perfici possit, ostendens, irrumpit in hostes, Eurysthei caput gladio amputat, pupillos liberat.

3. Tempus opportunum non rem esse raram et singularem, sed rebus humanis perpetua communione admixtam.

Postremum est, ut demonstretur, quemadmodum iustum tempus perpetua quaedam vitae humanae adiutrix et socia sit, rebus nostris ita divinitus commixta et coniuncta, ut praeclare agendi hora nunquam deficiat. Illustrat hoc Pindarus Alexidami, principis cuiusdam e Telesicratis in Libya maioribus exemplo, qui Barcam, Antaei regis filiam (Schol. Pind. p. 408 extr.), coniugem sibi in cursus certamine, quod procis Antaeus proposuerat, pararit. In hac fabula magni momenti illud est, quod Antaeum e more temporum heroicorum hoc fecisse poeta ostendit. Nam audierat Antaeus, inquit, quomodo Danaus quadraginta octo filiabus maritos invenisset, in calce stadii, ad currendum instituti, virgines ille collocans, v. 114 ἔστασεν γὰρ ἅπαντα χορόν ἐν τέρμασιν αὐτίκ' ἀγῶνος· || σὺν δ' ἀέθλοις ἐκέλευσεν διακρῖναι ποδῶν, || ἅντινα σχήσοι τις ἡρώων, ὅσοι γαμβροί σφιν ἦλθον. Nec ignobile est Icarii exemplum, qui cum plurimos Penelopa procos haberet, ne quem ex eis laederet, cursu eos certare iussit; Paus. 3, 12, 1 τοῖς μνηστῆρσιν Ἰκάριον τῆς Πηνελόπης φασὶν ἀγῶνα προθεῖναι δρόμου· ... ἀφεθῆναι δὲ αὐτοὺς λέγουσιν ἐς τὸν δρόμον διὰ τῆς ὁδοῦ τῆς Ἀφεταΐδος; cf. Paus. 3, 13, 6. Itaque strenue faciendi tempus opportunum minime res rara est, minimeque miraculo indigens, ut in Iolao factum, sed res, quae in vitae ipsius institutis nititur et saepe sponte se offert. Hoc est illud tempus quo tam fortiter strenueque usus est Alexidamus, ut et sponsam et gloriam sempiternam meritus sit. Summa igitur huius narrationis haec est: non in eo curam nostram versari oportere, ut tempus iustum nos ne deficiat, sed ut tempori iusto ne nos deficiamus. Iam si talem nunc huius carminis compositionem spectemus, unum lucrati videbimur: una illud eaque gravissima sententia nititur, quae per omnes partes tanquam per artus et membra aequabiliter diffusa est. Nec scrupulos fovere oportet, quasi talis rerum contemplatio, austeritatem quandam offerens, a poesis suavitate et hilaritate aliena sit. Est tale Pindari ingenium, quod si vitium non-

nullis videatur, a quibus equidem maxume dissenserim, vitium est amabile. Haec Pindarici ingenii austeritas potissumum in caussa fuit, ut, quod iure mireris, poeta provectioribus demum aetatis annis popularibus suis placere et ita innotescere inciperet, ut eum et admirarentur et adamarent. De hoc lentissimo Pindari in aequalium favore progressu optime L. Schmidtius in libro egregio „Pindarus" pluribus locis exposuit.

4. Telesicratem ex Aegidarum Cyrenensium gente ortum Thebis in Aegidarum Thebanorum coetu victoriam celebrasse, num verisimile sit.

Posteaquam de summa carminis sententia diximus, videndum nunc de loco, in quo carmen primum in commissatione sollemni cantatum sit, quae res difficultate quadam propterea impedita videtur, quia neque Cyrenis in patria victoris, neque Delphis, ubi victoriam sibi pepererat Telesicrates, pompam illam, in qua carmen a choro cantatum est, actam esse constat. Ipsae Cyrenae, quamqam ibi canendo repetitum est carmen (conf. Boeckhium, Explicatt. p. 326 extr.), tamen excluduntur a prima comissatione ipsius poetae verbis Pyth. IX, 73 ἀνέφανε Κυράναν, || ἅ νιν εὔφρων δέξεται, futuro tempore posito. Alterum, quod suspicere, Delphis hoc carmen primum cantatum esse, minime probabile, quia eius rei nulla omnino in carmine mentio fit, quod fieri videmus cum in loco ludorum ipso victoriae laetitia Pindaro interprete exprimitur, velut Olympiae Ol. VIII, 9 Πίσας εὔδενδρον ... ἄλσος, || τόνδε κῶμον καὶ στεφαναφορίαν δέξαι. Itaque ipsis Thebis hanc pompam, cui carmen destinatum erat, a Telesicrate actam esse, felicissime coniecit O. Muellerus, Orch.[2] p. 340, quam coniecturam Boeckhius, Expl. p. 325 extr. laetissimo consensu probavit. Telesicratem enim, ita fere argumentatur Muellerus, Carneadae filium, Cyrenaeum, quemadmodum iam e patris nomine colligere liceat, ex Aegidarum gente oriundum fuisse, apud quos Carnei Apollinis cultus hereditarius fuerit, quique Cyrenis inter gentes nobiles primum propemodum locum obtinebant, quoniam conditores eius coloniae ipsi huius gentis alumni fuerant. Telesicratem igitur post nactam in Pythiis victoriam Delphis profectum Thebas devertisse ad gentis suae propinquos, Aegidas Thebanos, visendos, quorum e stirpe Pindarus ipse prognatus erat. Ibi ab Aegidis Thebanis gentilem Cyrenaeum comiter exceptum et in eius honorem hanc pompam habitam esse, in qua carmen a Pindaro compositum cantatum sit.

Huic coniecturae firmandae magno documento est narratio de Iolao in medio carmine loco luculento posita et Herculis laudes a poeta ibidem insertae v. 87 κωφὸς ἀνήρ τις, ὃς Ἡρακλεῖ στόμα μὴ περιβάλλει. Quo fit, ut Thebae intellegendae videantur eo quoque loco, ubi quasi digitum intendens poeta dicit, se ter iam antea hanc urbem cecinisse oblata semper splendidis Telesicratis victoriis occasione et materia canendi, v. 91 φαμὶ ... τρὶς δὴ πόλιν τάνδ' εὐκλεΐξαι || σιγαλὸν ἀμαχανίαν ἔργῳ φυγών, quo loco quod illas victorias Telesicratis fuisse poeta non expressis verbis dicit, magnae inter interpretes turbae ortae sunt. Sed nihil offensionis inest, modo reputes, Thebas tanquam alteram Telesicratis

patriam poetae obversari. Accedit quod, si O. Muelleri coniecturam probemus, locus quoque in ipsa Thebarum urbe, ubi cantatum sit carmen, elegantissime a Pindaro significatur, quod rectissime Boeckhius, Expl. p. 326 med. vidit. Nam cum statim post pulcherrimum facinus peractum Iolaus mortuus esset, a Thebanis in avi sui Amphitruonis monumento conditus est, v. 83 τὸν . . . κρύψαν ἔνερθ' ὑπὸ γᾶν διφρηλάτα Ἀμφιτρύωνος || σάματι, πατροπάτωρ ἔνθα οἱ Σπαρτῶν ξένος || κεῖτο. Iolai vero sacellum aedificium prope urbem Thebarum celebre et conspicuum erat ante Proetides portas. Paus. 9, 23, 1 πρὸ τῶν πυλῶν ἐστι τῶν Προιτίδων καὶ τὸ Ἰολάου καλούμενον γυμνάσιον καὶ στάδιον . . . ἐνταῦθα δείκνυται καὶ ἡρῷον Ἰολάου. Prope Iolaeum locus saeptus erat equorum cursibus destinatus, in quo ipsius postea Pindari sepulcrum extructum est, Paus. 9, 23, 2 ἐν δεξιᾷ δρόμος ἵππων καὶ ἐν αὐτῷ Πινδάρου μνῆμά ἐστιν. Hunc prope Iolai stadium locum omnino ad familiarum Thebanarum veterum, quae Cadmeae stirpis essent, sepulcra recipienda institutum fuisse, ingeniose suspicatur Curtius, Ionier p. 31 et p. 53, not. 61. Haec omnia si reputemus, pulcherrimus sane rerum conexus hic oritur: pompa illa ad Telesicratis victoriam celebrandam acta, in qua Pindari carmen cantatum est, ad Iolai stadium et heroon deducta est. Iam facile intellegitur, quem nunc splendorem narratio illa de Iolai postremo vitae facinore accipiat. Quis non sentiat, quanta auditorum animos iucunditate et antiquorum decorum conscientia haec Pindari verba perfundere debuerint.

5. Aegidarum Spartanorum et Thebanorum cognatio. Oboritur insigne Paradoxorum quae vocantur Thebanorum specimen.

Sed quo pulchrior haec est O. Muelleri et Boeckhii de loco, ubi carmen cantatum sit, coniectura, tanto magis ab omni illa scrupulo defendenda erit, ut tuto et confidenter hoc fundamento in reliquis difficultatibus expediendis uti possimus. Verum haec omnia circumspicientibus statim confitendum est, non omni dubitatione illam interpretationem exemptam esse. Nam Aegidarum ortus et primordia mira quadam obscuritate multisque veterum testium repugnantiis involuta sunt, quae tanquam caligo has antiquitates occuparunt oculorumque nostrorum aciem impediunt. Difficillima in ipso ingressu oritur questio de Aegidarum Thebanorum et Aegidarum Spartanorum, e quibus Cyrenenses originem trahunt, cognatione et conexu. Nam, id quod mirabile dictu est, certissimo et luculentissimo Herodoti testimonio constat, Aegidas a Cadmo, Polydoro, Labdaco oriundos Spartae demum, quo commigraverant, nomen suum accepisse ab Aegeo, Oeolyci filio, Therae nepote, Spartae nato; Herod. 4, 149 Οἰολύκου δὲ γίνεται Αἰγεὺς, ἀπ' οὗ Αἰγεῖδαι καλεῦνται, φυλὴ μεγάλη ἐν Σπάρτῃ. Nihilominus Aegidas iam antiquitus Thebis floruisse certissimis rursus testimoniis constat, velut ipsius Pindari, qui in Amyclarum expugnatione Aegidas Thebanos auxilium Spartanis utilissimum tulisse dicit Isthm. VI, 14 ἕλον δ' Ἀμύκλας || Αἰγεῖδαι σέθεν (i. e. Thebae nymphae) ἔκγονοι. Exoritur igitur hoc loco unum e famosis illis paradoxis Thebanis, quae iam antiquis hominibus eruditis plurimum sudoris et operae excitasse videntur, cum Thebarum antiquitates propter ingentem fabularum copiam quasi

labyrinthi cuiusdam speciem praeberent. Multo fortasse certius nunc de illis repugnantiis iudicare liceret, si amplum illud Lysimachi Alexandrini 'paradoxorum Thebanorum' opus aetatem tulisset, de quo testatur Schol. Apoll. Rhod. 3, 1178 περὶ δὲ τῆς Εὐρώπης καὶ τῆς Κάδμου εἰς Θήβας παρουσίας Λυσίμαχος ἐν τῇ πρώτῃ τῶν Θηβαϊκῶν παραδόξων συνείληχε πολλὴν τὴν ὕλην διαφωνοῦσαν. cf. Hist. Graec. fragm. ed. Mueller III, 336. Nunc quoniam hoc adiumento uti non licet, nostris auspiciis ipsi rem administrare conabimur et filum Ariadnae ex nostris colis deducere.

6. Aegidarum Spartanorum gens Thebanorum Aegidarum immemor ab Cadmo et Labdaco per notissima heroum nomina se propagatam ferebat.

Primum igitur difficultates ordine exponamus necesse est. Aegidae Spartani ab Labdacidis oriundi dicuntur. Primus, qui Thebis relictis in Lacedaemonem migravit, Autesio fuit, Tisameni filius, Thersandri nepos, Polynicis pronepos. Autesio, ut fama est, a Furiis Lai et Oedipi, quae Tisameno pepercerant, actus ad Dorienses se contulit relicta patria; Paus. 9, 5, 15 τῶν δὲ Ἐρινύων τῶν Λαΐου καὶ Οἰδίποδος Τισαμενῷ μὲν οὐκ ἐγένετο μήνιμα, Αὐτεσίωνι δὲ τῷ Τισαμενοῦ, ὥστε καὶ παρὰ τοὺς Δωριέας μετῴκησε τοῦ θεοῦ χρήσαντος. Herod. 4, 147 Θήρας ὁ Αὐτεσίωνος τοῦ Τισαμενοῦ τοῦ Θερσάνδρου τοῦ Πολυνείκεος. Paus. 4, 3, 4 Θήρας . . . ἀπόγονος πέμπτος Πολυνείκους τοῦ Οἰδίποδος. Labdacidarum, qui ante Polynicem fuerunt, usque ad Cadmum, stemmate nihil tritius. O. Muellerus, Orchom.[2] p. 219 optime adnotavit, apud Eusebium septem illos, qui a Cadmo ad Thersandrum numerantur, reges, hoc est a Thebarum primordiis ad excidium urbis in bello Epigonorum, temporis spatium septem aetatium sine magna differentia explere. Nam secundum Eusebium[1]) anno 587 Abrahae Cadmus Thebas condidit; anno vero 825 secundum eundem[2]) Thebae ab Epigonis captae sunt. Interiecti sunt anni 238, qui secundum Herodoti (2, 142) rationes a septem γενεαῖς, annis 233 $^1/_3$, haud ita multum differunt. Autesionis filiam Argiam, Therae sororem, in matrimonium duxit Aristodemus, Herod. 6, 52 θυγατέρα δὲ αὐτὴν λέγουσι εἶναι Αὐτεσίωνος (cf. Apollod. 2, 8, 2, 7; Paus. 3, 1, 6; 4, 3, 4), quae geminos peperit, e quibus uter prior in lucem editus esset, mater ipsa se ignorare simulabat; Spartani vero, ut rem resciscerent, custodes adlegaverunt, qui observarent, utrum priorem mater aleret et lavaret; eoque dolo Herodotus eos comperisse narrat, Eurysthenem priorem e matris gremio prodiisse. Her. 6, 52 φυλάξαντας τὴν μητέρα . . . λαβεῖν κατὰ τὰ αὐτὰ τιμῶσαν τὸν πρότερον καὶ σίτοισι καὶ λουτροῖσι, οὐκ εἰδυῖαν, τῶν εἵνεκα ἐφυλάσσετο καί οἱ οὔνομα τεθῆναι Εὐρυσθένεα. Theras igitur, puerorum patre Aristodemo a Pyladis et Electrae filiis (Paus. 3, 1, 6) interempto, tutor sororis filiorum factus est, eorumque inimicitias a teneris iam unguiculis exardescentes paullisper compescuit, Paus. 3, 1, 7 προεληλυθότες δὲ ἐπὶ μέγα ἀπεχθείας ὅμως ἐν κοινῷ Θήρᾳ τῷ Αὐτεσίωνος, ἀδελφῷ τῆς μητρὸς σφῶν ὄντι Ἀργείας, ἐπιτροπεύσαντι δὲ αὐτῶν, συνήραντο ἐς ἀποικίαν i. e. in Peloponnesum.

1) vol. II ed. Schoene p. 34.

2) l. c. p. 52.

7. Aegidas Spartanos, Herodoto teste, ab Aegeo demum, Oeolyci filio, Therae nepote nomen suum accepisse.

Ex his narrationibus Labdacidas fuisse Therae maiores, seu Agenoridas (Eur. Phoen. 217), planissume apparet. Aegidarum nomen quando acceperint, Herodotus minume in dubio relinquit, clarissime testatus, Spartae demum hoc factum esse; nam cum Theras in Theram insulam ad coloniam condendam profecturus esset, filium Oeolycum Spartae reliquit, qui filium genuit Aegeum; ex eo Aegidarum nomen huius familiae posteris inditum esse, Herod. 4, 149 Οἰολύκου γίνεται Αἰγεὺς, ἀπ' οὗ Αἰγεῖδαι καλεῦνται. Spartae vero per sequentia quoque tempora Aegidas eximie floruisse, testimoniis multis evincitur. Pausanias tradit, Poecilen Spartae aedificatam esse et prope eam trium heroum heroa: Cadmi, Oeolyci, Aegei; architectos vero eorum trium aedificiorum fuisse Hyraei, Aegei filii, filios tres: Maesin, Laiam, Europam; Paus. 3, 15, 8 ποιῆσαι δὲ καὶ τὰ ἡρῷα λέγουσι Μαῖσιν καὶ Λαίαν τε καὶ Εὐρώπαν, εἶναι δὲ αὐτοὺς Ὑραίου παῖδας τοῦ Αἰγέως. Postrema duo nomina Thebarum memoriam mirum in modum revocant. Deinde ex Aegidarum gente fuit Euryleon, qui in belli Messeniaci primi pugna mediam aciem duxit, cum sinistrum cornu Polydorus, dexterum Theopompus haberet, Paus. 4, 7, 8 τὸ μέσον εἶχεν Εὐρυλέων, τὰ μὲν παρόντα Λακεδαιμόνιος, τὰ ἐξ ἀρχῆς δὲ ἀπὸ Κάδμου καὶ ἐκ Θηβῶν, Αἰγέως τοῦ Οἰολύκου . . . ἀπόγονος πέμπτος. Ex his luculenter apparet, Aegidarum Spartanorum gentem, cum ab initio Thebis oriunda fuisset et Labdacidarum nomine nuncuparetur, Spartae ab Aegeo, Oeolyci filio, Aegidarum nomen sortitam esse. Itaque magis iam magisque haec quaestio urget et instat, quomodo Aegidae Thebani cum Spartanis cognati sint et quodnam praeter nomen inter eos vinculum intercedat.

8. Pindari de Aegidis Thebanis testimonium Isthm. VI, 14 ad utram Amyclarum expugnationem spectet.

Aegidarum Thebanorum memoria minime tam celebrata et pervolgata, quam Spartanorum, est, immo tam rara sunt et tam tenuia eius gentis vestigia, ut fuerint, qui talem in urbe Thebarum gentem unquam fuisse negarent. Duo potissumum sunt Pindari testimonia, quibus Aegidarum Thebanorum fama et memoria nititur; primum locus Pyth. V, 73 τὸ δ' ἐμόν, γαρύειν || τἀπὸ Σπάρτας ἐπήρατον κλέος, || ὅθεν γεγενναμένοι || ἵκοντο Θήρανδε φῶτες Αἰγεῖδαι, || ἐμοὶ πατέρες, οὐ θεῶν ἄτερ, ἀλλὰ μοῖρά τις ἆγεν || πολύθυτον ἔρανον, || ἔνθεν ἀναδεξάμενοι, || Ἄπολλον, τεᾷ, || Καρνήϊ', ἐν δαιτὶ σεβίζομεν || Κυράνας ἀγακτιμέναν πόλιν, ubi ἀναδεξάμενοι cum Boeckhio (not. crit. p. 480 extr.) refero ad propitia Thebanorum studia, quibus Cyrenas urbem, a Theraeis conditam, benevolentes ut suam et sibi exoptatam parentum quasi caritate suscipiunt. Alter apud Pindarum locus de Aegidis Thebanis est Isthm. VI (VII), 12, ubi Thebam heroinam poeta interrogat, quonam inter vetustissima

decora sua et ornamenta potissimum facto delectetur v. 3—12 ἦ ῥα . . . ἀνίκ' εὐρυχαίταν || ἄντειλας Διόνυσον; . . . || ἦ ἀμφὶ πυκναῖς Τειρεσίαο βουλαῖς; . . . || ἦ Δωρίδ' ἀποικίαν οὕνεκεν ὀρθῷ || ἔστασας ἐπὶ σφυρῷ || Λακεδαιμονίων, ἕλον δ' Ἀμύκλας || Αἰγεῖδαι, σέθεν ἔκγονοι, μαντεύμασι Πυθίοις; Gloriatur igitur poeta, in gravi reipublicae Spartanorum discrimine auxilio laborantibus e Thebis urbe Aegidas, suasu oraculi Delphici, venisse; eorum forti opera effectum esse, ut Amyclis expugnatis Spartanorum respublica iam titubans recto rursus talo consisteret. Hoc Pindari testimonium ut recte aestimetur et cum fructu adhibeatur, tempus accuratius definiendum est, quo in Amyclis capiendis Aegidae Lacedaemoniis opem tulerint. Atqui habet hoc aliquam difficultatem; nam duae fuerunt Amyclarum expugnationes: altera, qua haud ita multo post Doriensium adventum capta est; altera, quae aliquanto post rege Teleclo, Archelai filio (Paus. 3, 2, 6), accidit. Non multa sunt, quae de eorum bellorum memoria traduntur. In priore bello hoc inprimis notabile, Dorienses, cum strenue urbes Laconicae ab Achaeis defenderentur, a Philonomo potissumum adiutos esse, qui partim proditione, partim paciscendo Laconiae dominationem eis conciliarit; eum Achaeorum principibus persuasisse, ut Doriensibus regno cederent. Propter haec eximia hominis merita Dorienses, ut digno eum praemio remunerarentur, Amyclarum ei regnum tradidisse. Harum rerum testis luculentus est Ephorus apud Strab. VIII, 364 τὴν Λακωνικὴν Ἡρακλείδας . . . διελεῖν εἰς ἓξ μέρη . . . μίαν μὲν οὖν τῶν μερίδων, τὰς Ἀμύκλας, ἐξαίρετον δοῦναι τῷ προδόντι αὐτοῖς τὴν Λακωνικὴν καὶ πείσαντι τὸν κατέχοντα αὐτὴν ἀπελθεῖν ὑπόσπονδον μετὰ τῶν Ἀχαιῶν εἰς τὴν Ἰωνίαν. et p. 365 κατὰ δὲ τὴν τῶν Ἡρακλειδῶν κάθοδον Φιλονόμου προδόντος τὴν χώραν τοῖς Δωριεῦσι μετανέστησαν (οἱ Ἀχαιοὶ) ἐκ τῆς Λακωνικῆς.

9. De Amyclarum expugnatione, quae sub Teleclo, Archelai filio facta traditur.

Alterius Amyclarum expugnationis caussa haec fuit, quod eius civitatis principes a Spartanorum ditione defecerant. Notum est, magna constantia et fortitudine Spartanis eos restitisse et plurima egregie factorum specimina edidisse. Laudum earum praeco Pausanias est, qui de bello sub Teleclo rege gesto haec habet, Paus. 3, 2, 6 τοὺς δὲ Ἀμυκλαιεῖς οὐκ ἐξ ἐπιδρομῆς ἐκβάλλουσιν, ἀλλὰ ἀντισχόντας τε ἐπὶ πολὺ τῷ πολέμῳ καὶ ἔργα οὐκ ἄδοξα ἐπιδειξαμένους. Fabulam de „tacitis Amyclis" ap. Serv. Aen. 10, 564 praeterire nunc satius erit. Spartani vero quanti fecerint illam victoriam tropaeo posito significarunt, Paus. 3, 2, 6 δηλοῦσι δὲ καὶ οἱ Δωριεῖς τρόπαιον ἐπὶ τοῖς Ἀμυκλαιεῦσιν ἀναστήσαντες, ὡς ἐν τῷ τότε λόγου μάλιστα ἄξιον τοῦτο ὑπάρξαν σφίσιν. cf. Paus. 3, 12, 9. et Curtius, Pel. 2, 247. In utraque Amyclarum expugnatione Aegidas Lacedaemoniorum socios fuisse memoria proditum. Nam primum Aegidis comitibus Heraclidas in Peloponnesum advenisse inde certum, quod Theras filiorum Aristodemi tutor fuit. Deinde Teleclo, Archelai filio, rege cum Amyclas Lacedaemonii oppugnarent, et pro mira illa, qua in locis munitis obsidendis semper laborabant, inscitia urbem capere nullo modo possent, iussu oraculi unum ex Aegidis Thebanis, Timomachum, magistrum sibi rei militaris et socium strenue dextera

et armis propugnantem adsciverunt. Sch. Pind. p. 551 extr. Αἰγεῖδαι . . . ἧκόν τινες εἰς Σπάρτην Λακεδαιμονίοις βοηθήσοντες ἐν τῷ πρὸς Ἀμυκλαεῖς πολέμῳ, ἡγεμόνι χρησάμενοι Τιμομάχῳ, ὅς πρῶτος μὲν πάντα τὰ πρὸς πόλεμον διέταξε Λακεδαιμονίοις, μεγάλων δὲ παρ' αὐτοῖς ἠξιώθη τιμῶν. Iam si quaeramus, Pindarus cum Isthm. VI, 14 dixerit: ἕλον δ' Ἀμύκλας || Αἰγεῖδαι σέθεν ἔκγονοι, utram expeditionem intellexerit, hoc difficile dictu est, atque veteres iam interpretes in hac questione haesisse scholia docent p. 552 init. δυεῖν οὖν ἀποστάσεων ἐκ τῆς τῶν Αἰγειδῶν τῶν Θηβαίων [φατρίας add. Boeckhius] εἰς Σπάρτην γεγονυιῶν, ἔργον ἀποφήνασθαι, ποτέρας ὁ Πίνδαρος νῦν μνημονεύει. cf. p. 383 med. διτταὶ δὲ αἱ τῶν Θήβηθεν Αἰγειδῶν εἰς Σπάρτην ἀφίξεις. Accedit quod eo solo loco, ubi de priore Amyclarum expugnatione aperte poeta loquitur, tam breviter dixit, ut inde nihil colligere liceat, Pind. Pyth. I, 65 ἔσχον δ' Ἀμύκλας ὄλβιοι || Πινδόθεν ὀρνύμενοι. Mihi Pindarus, ut libere quid sentiam profitear, consulto ambigue dixisse videtur, ut duplicem illam auxilii ab Aegidis lati memoriam uno nunc praeconio comprehenderet. Sed qualiscunque Pindari sententia hoc loco fuit, unum certissimum est et pro firmo stabilitoque tenendum: Pindarus testis est, vetustam aliquam Aegidarum gentem Thebis fuisse, antequam Spartae Aegidarum nomen radices egisset. Haec paullo copiosius exposuimus, quia nonnulli e viris aetatis nostrae doctissimis Aegidas ullos antiquitus Thebis fuisse negarunt. Est in hac sententia vir de populorum Graecorum antiquitatibus optime meritus Gustavus Gilbert, qui in libro „Studien zur Altspartan. Gesch.“ Gotting. 1872 p. 68 argumentis satis speciosis illud ipsum demonstratum ivit. Mihi duo illa Pindari testimonia fide dignissima videntur, nec dicere ausim, Pindarum, quia carmen Isthm. VI (VII) homini Thebano, Strepsiadae, compositum est, ut Thebanorum ea re sibi gratiam mereretur, Aegidas ut patriae urbis heroes celebrasse. Cf. Gilbertum l. s. p. 68 extr.

10. Fabula de legatis Doriensium, qui opem Aegidarum quaerentes necopinatos Aegidas Thebis invenerint.

Vidimus de Pindaro. Sed non eius solius testimonio haec fama nititur, Aegidas Thebis indigenas fuisse. Immo duo sunt scriptores clarissimi, qui idem tradiderunt, quorum narrationes Didymi, ut videtur (cf. Rose, Aristot. pseudepigr. p. 489 init.), diligentia in scholiis ad duos illos Pindari locos adscriptis nobis servavit, Ephorus et Aristoteles. Et Ephorus quidem, qui in libro primo de Heraclidarum in Peloponnesum incursione egerat, foederis illius, quo Heraclidae Aegidas sibi adiunxerant, historiam hunc in modum enarrarat, quemadmodum tradunt schol. Pind. Py. V, 101 et V, 92. Heraclidas cum irritis conatibus compluribus in Peloponnesum ingredi instituissent, tandem deum Delphicum adiisse, quaerentes, quemnam socium eius expeditionis adsciscere sibi oporteret. Deum igitur respondisse, ut est apud Sch. Pind. Pyth. 5, 92 p. 382 extr. καλέσατε εἰς βοήθειαν ᾧτινι ὁ πατὴρ ὑμῶν Ἡρακλῆς πλειόνως ἐβοήθησεν, vel ut alter scholiasta ad v. 101, p. 383 τοὺς ὑπὸ Ἡρακλέους εὐεργετηθέντας. Heraclidas, atque Aristodemum potissimum

nominat schol. ad v. 101, primum de Aegidis Atheniensibus, Thesei posteris, cogitasse, εἰδότας, ut ait sch. ad v. 101, Θησέα τὸν Αἰγέως μέγιστα πάντων ὑφ' Ἡρακλέους εὐεργετημένον. Primum igitur Athenas se converterunt, ubi spes eos fefellit, nam re infecta abierunt. Itaque cum subtristes vagarentur (sch. v. 92 ὧδε κἀκεῖσε περιπλανώμενοι) Thebas venerunt. Cum fines Thebanorum intrarent hominum coetui superveniunt sacrificium sollemne agentium; cumque ad eam rem animum advertissent, ecce vocem praeconis audiunt omnia felicia, ut in sacrificio (cf. Herod. 6, 111), Aegidis precantis, sch. v. 101, p. 383 extr. καταλαβεῖν θύοντάς τινας . . . παρὰ τὴν ὁδὸν, καὶ τοῦ κήρυκος ἀκούσαντα (τὸν Ἀριστόδημον) τοῖς Αἰγείδαις εὐχομένου τὰ ἀγαθὰ, λαβεῖν . . . ἔννοιαν. Hoc omen Heraclidas laetos accepisse et assumptis Aegidis Peloponnesi principatum obtinuisse; addit postremo scholiasta Ephori, ut videtur, verba exprimens, p. 383 extr. τῶν Ἡρακλειδῶν τὴν Πελοπόννησον κατασχόντων ἡγοῦντο τὸ μαντεῖον εἰρῆσθαι περὶ τῶν ἐν Θήβαις Αἰγειδῶν. Ex his elucet, Ephorum Aegidarum gentem iam ante Heraclidarum migrationem Thebis extitisse haud dubie arbitratum esse.

11. Aristotelis ex Lacedaemoniorum politia de Timomacho Aegida testimonium.

Transeundem nunc est ad Aristotelem, cuius narrationem ex Lacedaemoniorum politia excerptam (cf. Rose, Arist. pseudepigr. p. 488) servavit Schol. Pind. Isthm. 6 (7), 18 p. 552. Ac venustam illam fabulam de Aegidis, quos necopinatos Thebis inter sacras epulas, praeconis voce admoniti, legati agnoverint, haud multo diversam ab Ephoro Aristoteles tradidit; sed in una re plurimum ab eo discedit. Nam totum illud negotium non ad Heraclidarum tempora rettulerat, sed ad illos Lacedaemoniorum labores et difficultates, quae Teleclo rege in bello adversus Amyclaeos eis acciderant. Legati igitur Spartani, secundum Aristotelem, ab oraculo edocti Aegidas quaerunt. Cum primum Athenas tenderent in itinere Thebas devertunt ibique felicissimo casu voti compotes fiunt. Sch. Pind. p. 552 med. καταλύσαντες δὲ ἐν Θήβαις εὐωχουμένης τῆς τῶν Αἰγειδῶν φατρίας ἐκλήθησαν. ἀκούσαντες [δὲ add. Rose] μετὰ δεῖπνον εὐχομένου τοῦ ἱερέως διδόναι τοῖς Αἰγείδαις τοὺς θεοὺς τὰ ἀγαθὰ καὶ συμβαλόντες τὸν χρησμὸν, ἐντεῦθεν ἔλαβον τὴν συμμαχίαν. Quae sequuntur rursus diversa ab Ephoro. Heros enim ille ex Aegidarum gente, qui socius Lacedaemoniis cum gentilium suorum agmine advenit, Timomachus est. Is Lacedaemonios nova belli gerendi, qua in urbibus obsidendis opus esset, arte imbuit, ipse egregie dimicat, denique Amyclis potitur. Quare vel post mortem summis apud Lacedaemonios honoribus colitur. Quotannis Hyacinthiorum diebus festis lorica Timomachi Aegidae spectanda proponebatur, quae vocabulo a Thebanis sumpto ὅπλον vocabatur; schol. Pind. p. 552 init. καὶ τοῖς Ὑακινθίοις ὁ χάλκεος αὐτοῦ θώραξ προτίθεται. τοῦτον δὲ οἱ Θηβαῖοι ὅπλον ἐκάλουν. ταῦτα ἱστορεῖ καὶ Ἀριστοτέλης ἐν τῇ Λακώνων πολιτείᾳ. cf. O. Mueller, Orch.[2] p. 324. Videmus igitur Aristotelem hoc saltem testari, belli adversus Amyclaeos alterius temporibus Aegidarum gentem Thebis floruisse. Qua in re non negarim, fieri potuisse, ut consulto historiam de Aegidis ad sacras epulas inventis a temporibus Heraclidarum ad aetatem aliquanto posteriorem Telecli regis transtulerit.

12. Didymi locus praestantissimus, quo eruditorum sententias de Aegidarum Thebanorum ortu composuit. Aegidae pro Phlegraeis habiti.

Iam si paullisper oculos retro vertamus, paradoxi illius Thebani, quod initio proposuimus, difficultatem hoc testimoniorum apparatu non sublatam, sed magnopere auctam inveniemus. Nam altera testium pars strenue affirmat, Aegidas Lacedaemonios ab Agenore per Cadmum et Labdacum propagatos ab Aegeo demum Oeolyci nepote Aegidarum nomen accepisse; altera rursus factio Aegidas Thebanos gentem in urbe Thebarum indigenam et vetustissimam, sacris venerandis praeditam, fuisse praedicat. Haec quaestio, paullo sane intricatior, iam vetustorum antiquitatis scrutatorum acumen allexit, inprimis Didymi, nam eius haud dubie copiis et diligentiae optima illa disputatio debetur, quae in scholiis ad Pind. Isthm. 6 (7), 18 p. 551 sq. servata est. Didymus ibi complurium eruditorum sententias de Aegidarum originibus composuerat, quas scholiasta in brevius ex ampliore commentatione contractas, repetita aliquotiens dilecta illa scholiastis formula: ἔνιοι δέ φασιν, recenset. Haec singillatim nobis nunc examinanda sunt. Primum igitur fuerunt, qui Aegidas Thebanos origine Phlegraeos dicerent: ἦσαν δὲ οὗτοι Φλεγραῖοι ἀνέκαθεν. Hanc explicationem O. Muellerus, Orch.[2] p. 325 extr. ita intellegendam censet, ut eius auctor pro vetustissimo Aegidarum gentis conditore Aegaeonem Gigantem habuerit, qui in campis Phlegraeis in proelio deorum cum gigantibus ceciderit ibique sepultus sit. Aegaeonem Homerus hecatonchirum fingit, Iovis in illa pugna socium non spernendum. Il. α, 403 ἑκατόγχειρον . . . || ὃν Βριάρεων καλέουσι θεοί, ἄνδρες δέ τε πάντες || Αἰγαίων'. Vergilius Aegaeonem ut acerrimum in Gigantomachia Iovis adversarium novit, Aen. 10, 565 *Aegaeon qualis, centum quoi bracchia dicunt* || . . . *Iovis cum fulmina contra* || *tot paribus streperet clupeis.* Sed doctus ille commentator, qui Phlegra oriundos Aegidas fuisse contendit, aliud longe quid sensisse videtur. Phlegra nomen antiquom fuit paeninsulae Pallenae, cuius rei plurimi testes sunt. Herod. 7, 123 αὗται γάρ εἰσι αἱ τὴν νῦν Παλλήνην, πρότερον δὲ Φλέγρην καλεομένην νεμόμεναι. [Scymnus,] Perieg. 636 ταύτην δὲ Φλέγραν τὴν πρότερον καλουμένην, || τοὺς θεομάχους Γίγαντας οἰκῆσαι λόγος, || μετὰ ταῦτα Παλληνεῖς δ' ἀφ' αὐτῶν ὀνομάσαι || λέγουσιν ὁρμηθέντες ἐξ Ἀχαίας.

13. Herodoti VII, 123 egregium, licet ipsi non intellectum de Aegidis Phlegraeis testimonium.

In Phlegra paeninsula Aega oppidum ab Herodoto commemoratur, quod cum aliis compluribus Xerxi regi, cuius per eas regiones classis vehebatur, se dediderit, Her. 7, 123 νέας τε καὶ στρατίην ἐλάμβανε ἐκ Ποτιδαίας καὶ Ἀφύτιος . . . καὶ Αἰγῆς καὶ Θεράμβω καὶ Σκιώνης. Huius oppidi incolae heroem eponymum Aegeum coluerunt, opinor; eum vero Aegeum verisimile est Cadmi comitem e Phoenicia fuisse, cum Europam quaereret in has regiones

delati. Cadmi enim in his terris commoratio multis testibus affirmatur, quippe qui Phoenicum, qui colonias eo deduxerunt, patronus et dux sit. Ac primum quidem in Phlegram i. e. Pallenam advenisse dicitur, Conon. narr. 32, ubi Cadmus a patre missus cum Proteo proficiscitur καὶ . . . μετὰ πολλὴν πλάνην μηδὲν εὑρόντες κατέσχον εἰς Παλλήνην. Atque ibi Proteus remanet, Cadmus longius progreditur. Is una cum Telephassa matre (Apollod. 3, 1, 1, 6) in Thraciam penetrat; frater eius Thasus cum comitibus Phoeniciis Thasum urbem condit et Herculis ibi Tyrii cultum instituit. conf. Boehnecke, Forschungen auf dem Geb. d. att. Redn. p. 104. Herod. 6, 47. τὴν νῆσον ταύτην, ἥτις νῦν ἐπὶ τοῦ Θάσου τούτου τοῦ Φοίνικος τὸ ὄνομα ἔσχε. De Hercule Her. 2, 44 ἱρὸν Ἡρακλέος ὑπὸ Φοινίκων ἱδρυμένον, οἳ κατ' Εὐρώπης ζήτησιν ἐκπλώσαντες Θάσον ἔκτισαν. Paus. 5, 25, 12. Pangaei montis metalla Cadmus reclusit, Strab. XIV, 680 med. ὁ δὲ Κάδμου (πλοῦτος) [ἐκ τῶν] περὶ Θρᾴκην καὶ τὸ Παγγαῖον ὄρος. Artem quoque metallorum liquefaciendorum ibi invenit, Plin. n. h. 7, §. 197 *flaturam* (invenit) *Cadmus Phoenix ad Pangaeum montem.* Postremo Cadmus cum Telephassam matrem ibi sepelivisset, Delphos se contulit, Apollod. 3, 4, 1 Κάδμος ἀποθανοῦσαν θάψας Τηλέφασσαν, ὑπὸ Θρᾳκῶν ξενισθεὶς, ἦλθεν εἰς Δελφοὺς περὶ τῆς Εὐρώπης πυνθανόμενος. Colonia a Thasiis in Sithoniae paeninsulae litus occidentale deducta Galepsus est, a Galepso, Thasi filio, condita; Harp. s. v. Γάληψος . . . ἀπὸ Γαλήψου τοῦ Θάσου καὶ Τηλέφης. Iam ut ad Aegam, Pallenae paeninsulae urbem redeamus, haec quoque ab Phoenicio aliquo Cadmi seu fratre seu comite condita fuerit, Steph. Byz. s. v. Αἰγά . . . ἔστι καὶ πόλις Φοινίκων, ὡς Ἑκαταῖος. Urbs Aega in Pallenae litore orientali posita plane exadversum Galepso oppido sita est; quemadmodum igitur Galepsus Phoenicum colonia est, ita non sine iure statuas, Aegam quoque ab eiusdem populi conditoribus originem trahere, quae res e more eius generis fabularum ita exprimebatur, ut Cadmi comitem Aegeum illam condidisse perhiberetur. Haec opinor eius hominis doctissumi opinio fuit, qui de Aegidarum Thebanorum origine in schol. Pind. p. 551 med. haec adnotavit: ἦσαν δὲ οὗτοι Φλεγραῖοι ἀνέκαθεν. Potuit, ni fallor, Hegesippus Mecybernaeus in Παλληνιακοῖς huius narrationis auctor esse, de quo Dion. Hal. 1, 49 init. Κεφάλων ὁ Γεργίθιος καὶ Ἡγήσιππος ὁ περὶ Παλλήνης γράψας, ἄνδρες ἀρχαῖοι καὶ λόγου ἄξιοι. cf. Hist. Gr. fr. ed. Mueller, IV, 422 et Boehnecke, Forsch. p. 103 extr. De Cephalonis 'remota' aetate, iusto benignius ab Dionysio aestimata, vide Schweglerum, Roem. Gesch. 1, 303.

13. Dicaearchi de patrarum et phratriarum discrimine placita.

Praeter hanc, qua Aegidae e Phlegra oriundi dicti sunt, sententiam alia fuit, quam ipsam quoque Didymus in commentariis ad Pindarum rettulerat, cuius auctores hanc de Aegidarum ortu quaestionem duabus potissumum rebus tanquam radicibus niti oportere docuerant: primum Aegeum, Aegidarum heroem eponymum, unum e Spartis qui vocantur Thebanis fuisse; deinde Aegidas 'phratriam' in urbe Thebarum fuisse. Huius disputationis vestigia et frusta servata haec sunt: Schol. Pind. Pyth. 5, 101 p. 384 init. τινὲς δὲ Αἰγέα.

ἀφ' οὗ ἡ τῶν Αἰγειδῶν ἐν Θήβαις φατρία τοὔνομα ἔλαβε, Σπαρτὸν εἶναι τῶν ἀπὸ Κάδμου. Schol. Pind. Isthm. 6, 18 p. 551 extr. καὶ εἰσὶν Αἰγεῖδαι φατρία Θηβαίων, ἀφ' ἧς ἧκόν τινες εἰς Σπάρτην Λακεδαιμονίοις βοηθήσοντες. p. 552 lin. 12, quae verba ex Aristotelis narratione supra illustrata sumpta sunt: ἐν Θήβαις εὐωχουμένης τῆς τῶν Αἰγειδῶν φατρίας. Iam primum quaeritur, quem illi antiquitatum Thebanarum scrutatores voci phratriae significatum tribuerint. In scribendi huius vocabuli forma summa regnat inconstantia: nam φρατρία et φατρία plane promiscue usurpantur; codicum etiam summa fluctuatio est. conf. de hac re disputantem Buttmannum, in Mythologo 2, 328. Proficiscendum est in illa quaestione a docta Dicaearchi disputatione apud Steph. Byz. s. v. πάτρα, qui trium vocabulorum cognitu dignissimorum: πάτρας, φρατρίας, φυλῆς discrimen definiit. 'Patrae' primum hanc definitionem posuit: ἐκλήθη δὲ πάτρα μὲν εἰς τὴν δευτέραν μετάβασιν ἐλθόντων ἡ κατὰ μόνας ἑκάστῳ πρότερον οὖσα συγγένεια. Exempla 'patrarum' affert Aeacidas, Pelopidas. Notissimae sunt 'patrae' Aegineticae. Pindarus in carminibus Aegineticis sedulo semper fere cavit, ut 'patrae', e qua victor prodiisset, nomen posteritati mandaretur. Tales sunt Bassidae, Euxenidae, Midylidae, Theandridae, Psalychidae. Nomina igitur 'patrarum' semper patronymicam formam habent, Dicaearcho quoque teste l. s. ἀπὸ τοῦ πρεσβυτάτου καὶ μάλιστα ἰσχύσαντος ἐν τῷ γένει.

Phratriae deinde vox latius aliquanto patet et laxius iam cognationis vinculum indicat. Dicaearchus ex affinitate eam ortam putat: puellas, quae in aliam gentem nupsissent, vinculum quoddam caritatis et sacrorum inter veterem suam gentem et novam mariti constituisse, ut nova communio oriretur: οὐ γὰρ ἔτι τῶν πατριωτικῶν ἱερῶν εἶχε κοινωνίαν ἡ δοθεῖσα, ἀλλ' εἰς τὴν τοῦ λαβόντος αὐτὴν συνετέλει πάτραν, ὥστε πρότερον πόθῳ τῆς συνόδου γιγνομένης ἀδελφαῖς σὺν ἀδελφῷ ἑτέρα τις ἱερῶν ἐτέθη κοινωνικὴ σύνοδος, ἣν δὴ φρατρίαν ὠνόμαζον. Hanc definitionem recte Buttmannus, Mythol. 2, 308 monuit magis ad philosophorum dogmata, quam secundum Graecorum vitae instituta compositam esse, nam in affinitate sola phratriarum potestatem minime positam fuisse. Attamen non prorsus eam falsam esse, quoniam vetustissimis temporibus ex cognatarum potissumum familiarum orbe nuptiae petitae sint. Affinitatem igitur phratriae fundamentum eatenus esse, quoad cum cognatione conveniat. Quaeri potest, num eiusdem phratriae omnes familiae uno semper nomine communi usae sint. Quom phratriae vocis significatio paullo laxior sit, verisimile est, in aliis civitatibus aliud quid in nominibus gentium et phratriarum eligendis, in usu fuisse. Sed paullo crebrior, opinor, fuit in eiusdem phratriae gentibus nominis communio et forma nominis patronymica. Quamobrem non sine caussa antiqui illi rerum Thebanarum investigatores Aegidarum coetum et corpus 'phratriae' vocabulo appellari potuisse et debuisse arbitrati sunt.

14. Veterum eruditorum placitum: Aegeum heroem aliquem e Spartis fuisse, quibus difficultatibus laboret.

Alterum illud, quod huius sententiae auctores in investigandis Aegidarum primordiis certo constare sibi persuaserant, hoc fuit: Aegidarum vetustissimum auctorem et parentem Aegeum unum e Spartis qui vocentur Thebanis fuisse. Sch. Pind. p. 384 init. Αἰγέα . . . Σπαρτὸν εἶναι τῶν ἀπὸ Κάδμου. Hoc placitum, quod nullis caussis additis sic nudum fere in scholiis traditur, si accuratius examinetur, difficultatibus haud mediocribus impeditum est. cf. O. Mueller, Orch.[2] p. 330. Nam Spartorum illorum, qui e draconis dentibus a Cadmo sparsis orti dicuntur, quinque omnino superstites fuerunt; atque in universa antiquitate nihil fere pervolgatius est tritiusque, quam quinque gigantum illorum nomina. Eorum plurimi optimique extant testes, velut Aeschylus ap. Sch. Eur. Phoen. 942 οἱ περιλειφθέντες τῶν Σπαρτῶν, ὥς Αἰσχύλος φησιν, ἦσαν Χθόνιος, Οὐδαῖος, Πέλωρος, Ὑπερήνωρ, Ἐχίων. Pherecyd. ap. Sch. Apoll. Rh. 3, 1179 θνήσκουσιν πλὴν πέντε ἀνδρῶν· Οὐδαίου . . . καὶ αὐτοὺς Κάδμος ποιεῖ πολίτας. Eodem modo Hellanicus ἐν α´ Φορωνίδος ap. Sch. Apoll. Rh. l. s. Timagoras in Θηβαϊκοῖς sextum Creontem adiecerat, Sch. Eur. Phoen. v. 670 κατὰ δὲ Τιμαγόραν καὶ Κρέων. Apud hos omnes de Aegeo οὐδὲ γρῦ. Iam igitur quaeritur, quomodo antiqui doctores placitum illud suum, quo Aegeum unum e Spartis (p. 384 Σπαρτὸν τῶν ἀπὸ Κάδμου) fuisse adseverarunt, defenderint et intellectum voluerint. In hac re expedienda in duas eos diversas quasi acies discessisse videmus, quarum utraque sua quaedam propria signa et vexilla sequeretur. Nam alteri ita sibi persuaserant: Spartos illos primos quinque omnium nobilium gentium parentes factos esse et ab eorum filiis seu nepotibus nobiles gentes nomina sua accepisse; altera rursus pars, spreta omnino illa de quinque gigantibus e Cadmi satu ortis fabula, Spartos pro Cadmi comitibus e Phoenicia adductis habendos censuit. Haec posterior sententia minume solorum eruditorum et antiquitatis curiosorum fuit, sed multa indicio sunt, eam apud ipsam nobilitatem Thebanam haud minus, quam priorem illam gratam et divolgatam fuisse.

15. Cadmeae apud Thebanos familiae quemadmodum summa cum fide nobilitatis memoriam et antiqua decora servarint.

Primum igitur nunc de eorum sententia videndum, qui omnes nobiles Cadmeorum familias a quinario illo Spartorum primorum numero repetebant. Hic numerus non fortuitus videtur, sed reconditam quandam lucem continet: fieri potest, ut antiquissimis temporibus populus Cadmeorum in quinque phylas divisus fuerit. In fabulis igitur, quae hoc argumentum persequebantur, primum enarratum erat, quomodo Cadmus quinque illos gigantes e terra editos et e mutuo proelio solos superstites in condenda urbe operis socios sibi adsumperit: Sch. Eur. Phoen. 941 ὁ Κάδμος ἔσωσε πέντε ἐξ αὐτῶν, συνεργῶν τῇ γνώμῃ

τῆς Ἀθηνᾶς εἰς τὸ κτίσαι τὴν πόλιν. Ab eis omnis Cadmeorum nobilitas descendit: Sch. Eur. Phoen. 795 σπαρτῶν γένναν] τοὺς Θηβαίους λέγει. οἱ γὰρ περιλειφθέντες ἐκ τῶν σπαρτῶν ὀδόντων τοῦ δράκοντος τῶν ἑξῆς πάντων εἰσὶ πρόγονοι. Constat nobiles Cadmeorum gentes in summis illis turbis et conversionibus, quibus antiquitus assiduo Boeotia iactata est, magna ex parte in terras diiunctissimas dispersas esse; sed minime omnes e patria abierunt immo pars quaedam omnium casuum superstes tanquam antiquorum temporum heroicorum monumentum mansit et perduravit Thebis eamque ipsam magna pietate et tenacitate veteris nobilitatis memoriam et insignia conservantem videmus. De Epaminonda, qui e Spartorum genere oriundus fuerit, nota res est. Pausanias in eius sepulero narrat draconem, Spartorum insigne, in clypeo caelatum conspici, Paus. 8, 11, 8 τῷ τάφῳ δὲ κίων ἐφέστηκε καὶ ἀσπὶς ἐπ' αὐτῷ δράκοντα ἔχουσα ἐπειργασμένον. ὁ μὲν δὴ δράκων ἐθέλει σημαίνειν γένους τῶν Σπαρτῶν καλουμένων εἶναι τὸν Ἐπαμεινώνδαν. cf. O. Muell. Orch.[2] p. 391. Deinde saepius hoc memoratur, omnes qui e Spartorum sanguine oriundi fuerint, hastae notam, ipsa natura opifice, ut signum hereditarium in corpore gestasse; atque hoc signo nativo eius stirpis homines ceteroquin ignotos mutuo se agnovisse. Dio Chrysost. IV, 23 σημεῖον λέγεται εἶναι . . . λόγχη τις . . . ἐπὶ τοῦ σώματος. ὅστις δὲ τοῦτο τὸ σημεῖον μὴ ἔχοι, οὐ δοκεῖν τῶν Σπαρτῶν εἶναι. Aristot. Poet. 16 τούτων (τῶν σημείων) τὰ μὲν σύμφυτα, οἷον „λόγχην, ἣν φοροῦσι Γηγενεῖς". cf. Lobeck, Agl. p. 1147. Plutarchus miraculi instar narrat, hominem suae aetatis fuisse Pythonem nomine, Nisibei filium, in cuius corpore Spartorum illa hasta diu intermortua quasi revixerit; Plut. ser. num. vind. 21 Πύθωνος . . . λεγομένου τοῖς Σπαρτοῖς προσήκειν, ὃς ἐξανήνεγκε λόγχης τύπον . . . , διὰ χρόνου τοσούτου ἀνασχούσης καὶ ἀναδύσης, ὥσπερ ἐκ βυθοῦ, τῆς πρὸς τὸ γένος ὁμοιότητος.

16. De eorum sententia, qui Spartos quinque vetustissimos gentium nobilium velut Aegidarum, Thelidarum, aliarum parentes statuerunt.

Iam si eius sententiae, qua nobiles gentes Cadmeae omnes a quinque illis vel sex Spartis e terra editis descendere dicebantur, nunc summa colligenda sit: contenderunt illi eruditi, Spartorum vetustissimorum filios seu nepotes parentes factos esse diversarum, quae Thebis floruerint, gentium Cadmearum nobilium; ab eis heroibus, qui ipsi quoque cum posteritate sua „Sparti" vocati sint, gentes illas nobiles, velut Aegidas, Thelidas (Diog. La. 1, 22) nomina sua sortitas esse. Haec sententia quemadmodum scriptorum, qui res Thebanas enarrarunt, operibus vestigia sua impresserit et stilum quasi in eorum manu rexerit, e Timagorae Thebaicorum auctoris (cf. Hist. Gr. fr. ed. Muell. IV, 520) fragmento cognoscere licet. Timagoras sex tantum Spartos vetustissimos e terra editos novit, Sch. Eur. Phoen. 970 κατὰ δὲ Τιμαγόραν καὶ Κρέων. Deinde alio quodam operis sui loco narraverat, quemadmodum Sparti nonnulli Thebis relictis in Lacedaemonem migravissent ibique Spartam urbem a nomine sibi peculiari nuncupavissent. Steph. Byz. s. v. Σπάρτη] ἀπὸ τῶν μετὰ Κάδμου Σπαρτῶν, περὶ ὧν Τιμαγόρας φησίν „ἐκπεσόντας δὲ αὐτοὺς εἰς

τὴν Λακωνικὴν Σπάρτην ἀφ' ἑαυτῶν ὀνομάσαι". Spartos illos apud Timagoram in Lacedaemonem traductos Aegidas esse manifestum est. Sequitur ergo, Timagoram Aegidarum parentem Aegeum pro vetustissimorum Spartorum alicuius filio seu nepote habuisse. Ceterum migrationem illam Spartorum Aegidarum, de qua Timagoras dicit, manifestum est non eam esse, quae Heraclidarum tempore facta est, sed aliam longe antiquiorem, quae Pelope rege facta dicitur, de qua luculentum extat Strabonis testimonium; Strab. VIII, 360 οἰκίσαι δὲ λέγεται Πέλοψ τό τε Λεῦκτρον . . . καὶ Θαλάμας, τοὺς νῦν Βοιωτοὺς καλουμένους, τὴν ἀδελφὴν Νιόβην ἐκδοὺς Ἀμφίονι καὶ ἐκ τῆς Βοιωτίας ἀγαγόμενός τινας.

17. Quomodo qui fabulas de Spartis e terra editis repudiarent, Spartorum nomen et ortum explicuerint.

Transeundum nunc est ad eorum sententiam accuratius examinandam, qui Spartos Thebanos, spreta illa puerili, ut ipsis videbatur, de draconis dentibus fabula, pro comitibus Cadmi e Phoenicia oriundis habuerunt. Haec quoque sententia inter antiquitatis viros eruditos propugnatores nonnullos non ignobiles habuit. Nomen Spartorum illi inde derivandum putabant, quod advenae cum Cadmo e Phoenicia appulsi veteribus Boeotiae incolis quasi adspersi et admixti sint. Hunc in modum rem explanaverat Androtio, Atthidis scriptor, de cuius rebus et opere subtilissime disseruit A. Schaefer, Demosth. I, 351. Affert Androtionis disputationem Schol. Pind. Isthm. 6, 13 p. 551 med. Ἀνδροτίων δέ φησι φυγόντα ἐκ τῆς Φοινίκης τόν Κάδμον μετὰ ἱκανῶν σποράδων κατελθεῖν εἰς Θήβας. ὅθεν διὰ τὸ συμμιγεῖς (ci. Boeckhius pro συμμιγές) καὶ σποράδην εἶναι Σπαρτοὶ ἐκλήθησαν. Quae vero de draconis dentibus volgo narrentur, ea ut Thebanorum somnia castigaverat Androtio: οἱ δὲ Θηβαῖοι inquit τὰ περὶ αὐτῶν ψευδῶς ἐτερατούργησαν. Similia ex Androtionis opere habet Sch. Eur. Phoen. 670 σπαρτοὺς αὐτούς φησι διὰ τὸ ἀκολουθήσαντας αὐτοὺς ἐκ Φοινίκης Κάδμῳ σποράδην οἰκῆσαι. conf. Tzetz. ad Lyc. 1206 p. 961 ed. Muell. In eadem sententia Amphilochus quoque fuit, Sch. Eur. Phoen. 670 Ἀμφίλοχος δὲ (σπαρτοὺς) διὰ τὸ ἐπεσπάρθαι τοῖς οἰκοῦσιν ἐν Θήβαις, Διονύσιος δὲ ἔθνος Βοιωτίας φησὶν αὐτούς. Postremo fuerunt, qui Spartos Cadmi ex variis mulieribus filios dicerent, numero quinquaginta. Sch. Eur. Phoen. 670 ἔνιοι δὲ παῖδας Κάδμου αὐτούς φασιν ἐκ διαφόρων γυναικῶν ν' τὸν ἀριθμόν ὄντας.

18. Thelidarum gentem in memoriis domesticis a Cadmi aliquo comite Phoenicio primordia sua repetiisse.

Possint hae primo adspectu antiquariorum eruditorum coniecturae videri. Verum universa haec sententia, qua Sparti Cadmi comites et advenae e Phoenicia dicuntur, tantum abest, ut eruditorum commentum sit, ut e nobilitatis Thebanae memoriis quibusdam domesticis petita videri debeat. Huius rei luculentus testis est Herodotus, qui eius gene-

ris e Phoenicia advenas adprime novit, Her. 2, 49 παρὰ Κάδμου τε τοῦ Τυρίου καὶ τῶν σὺν αὐτῷ ἐκ Φοινίκης ἀπικομένων ἐς τὴν νῦν Βοιωτίην. Eos Cadmi comites nobilium gentium auctores et parentes factos esse, e Thelidarum gentis exemplo, unde Thales Milesius, philosophus, ortus est, clarissume apparet. Thelidae enim, secundum Diogenis Laertii testimonium, e Phoenicia oriundi, turbae illi adscripti fuerant, quae Agenoris quondam et Cadmi auspiciis e Phoenicia in Boeotiam migravit; Diog. La. 1, 22 Θαλῆς ἐκ τῶν Θηλιδῶν, οἵ εἰσι Φοίνικες, εὐγενέστατοι τῶν ἀπὸ Κάδμου καὶ Ἀγήνορος. Herodotus Thalem simpliciter ortu Phoenicem dicit, Her. 1, 170 Θάλεω ἀνδρὸς Μιλησίου ... τὸ ἀνέκαθεν γένος ἐόντος Φοίνικος, sed eum quoque credo ita tacite statuere: Thelidas e Phoenicia, Tyro potissumum urbe, prognatos per aliquod tempus Thebis sedes habuisse, deinde in Asiam reversos esse; conf. Steinium ad h. l. et Bernardum Gieseke, Thrakisch-Pelasgische Stämme p. 57 et 128. Iam si haec reputemus facile dictu est, quid de Aegeo Aegidarum patre huius sententiae propugnatores tradiderint: Aegeum quoque illi haud dubie pro Cadmi comite e Phoenicia advecto habuerunt, quo spectant verba sch. Pind. p. 384 init. τινὲς δὲ Αἰγέα, ἀφ' οὗ ἡ τῶν Αἰγειδῶν ἐν Θήβαις φατρία τοὔνομα ἔλαβε, Σπαρτὸν εἶναι τῶν ἀπὸ Κάδμου. In his ἀπὸ praepositio nec solam originem nec solum tempus significat, sed omnino initia inlucescentis gloriae et memoriae apud posteros, ut apud Diog. La. 1, 22 τῶν ἀπὸ Κάδμου καὶ Ἀγήνορος.

19. Androtionis praestantissimum testimonium, quo Aegeum Atheniensem ab Thebano non diversum dicit, in lucem protrahitur.

Vidimus quid in universum veteres harum rerum gnari de Aegeo tradiderint, quem et unde oriundum eum finxerint. Iam quaestio gravissuma exoritur, fierine possit, ut quae eidem illi scrutatores de fatis eius et rebus gestis litteris mandarint, paullo accuratius cognoscamus. Ac nolim nunc mihi quisquam nimiam curiositatem obiciat, tanquam, quae melius ignorantur, rimari cupiam, *nutricem Anchisae, nomen patriamque novercae* || *Anchemoli*. Immo maxume refert, ut de gentis Aegidarum primo auctore et parente quam accuratissume edoceamur, nam inde tota haec quaestio pendet, a qua proflecti sumus, quae inter Labdacidas seu Agenoridas et Aegidas ratio intercedat. Theras enim Labdacides est, non Aegides, et Therae posteri ab Aegeo demum, Therae nepote, Oeolyci filio hoc Aegidarum nomen acceperunt. Quo efficitur, ut quae Aegidis Spartanis cum Thebanis cognatio intercesserit difficillimum dictu sit. In hac igitur rerum conditione egregio casu accidit, ut scriptoris cuiusdam haud ignobilis testimonio Aegei fata et res gestas necopinata quadam luce illustrare possimus. Nam ut brevi dicam: Aegeum, Cadmi comitem, Thebanum, nonnulli pro non diverso ab Aegeo Atheniensi, Thesei patre, habuerunt.

Fuit in hac sententia Androtio, modo eius verba recte explicentur. Tradit Tzetzes ad Lyc. 495 p. 650 Muell. ὁ γὰρ Αἰγεὺς Ἀθηναῖος καὶ γηγενὴς ἀπὸ Ἐρεχθέως. τινὲς δὲ καὶ τοῦτον ἕνα τῶν ἀναδοθέντων ἐκ τῶν ὀδόντων τοῦ δράκοντος τοῦ ἐν Θήβαις, ὡς καὶ Ἀνδροτίων. Aegeum igitur 'Spartum' non diversum ab Aegeo Thesei patre Androtio iudicaverat.

Sed unum obstare videtur. Androtio enim Spartos Cadmi comites esse docuerat, fabulam vero puerilem, quasi e terra editi fuerint, castigarat; sch. Pind. p. 551 med. διὰ τὸ σποράδην εἶναι Σπαρτοὶ ἐκλήθησαν. οἱ δὲ Θηβαῖοι τὰ περὶ αὐτῶν ψευδῶς ἐτερατούργησαν. Haec adversa fronte pugnant cum Tzetzae de Androtionis sententia testimonio, Aegeum fuisse ἕνα τῶν ἀναδοθέντων ἐκ τῶν ὀδόντων. Attamen haec conciliari possunt, opinor. Tzetzes enim, ut est homo, Androtionis verba non accurate rettulit; nam cum hoc maxume ei cordi esset, ut Androtionem Aegeum Atheniensem pro non diverso ab Thebano habuisse doceret. oblitus est Androtionem de Spartorum origine seorsum a Thebanis sensisse. Itaque neglectis, quae ad refellendos Thebanorum de Spartis errores Androtio dixerat, qua est simplicitate, volgarem de Spartorum ortu famam repetiit, quippe qui ad tempus non data opera hoc ipsum ageret, ut de Spartorum origine exponeret.

20. Androtionis de Aegidarum Atheniensium et Thebanorum cognatione opinionem cum aliis rebus tum gravissimo Aristotelis testimonio confirmari.

Androtio vero cum Aegeum Atheniensem et Thebanum pro uno eodemque habendum censuit, minime rem novam et inauditam docuit. Nam notum est de Aegeo saepius hoc narrari, eum non germanum Atheniensem, nec verum Pandionis filium, sed peregrinum, e Scyro insula oriundum fuisse. Plutarchus de Pallantidarum erga Aegeum invidia referens haec dicit, Plut. Thes. 13 χαλεπῶς φέροντες, εἰ βασιλεύει μὲν Αἰγεὺς θετὸς γενόμενος Πανδίονι καὶ μηδὲν Ἐρεχθείδαις προσήκων. De Aegeo Scyrii filio Apollod. 3, 15, 5, 4 Πανδίονι . . . παῖδες ἐγένοντο Αἰγεὺς Πάλλας Νῖσος Λύκος. ἔνιοι δὲ Αἰγέα Σκυρίου εἶναι λέγουσιν, ὑποβληθῆναι δὲ ὑπὸ Πανδίονος, ubi Σκυρίου tenendum, nec in Σκύριον mutandum, cf. recte iudicantem Prellerum, Mythol. Gr. II³, 287.

Iam, quomodo Androtio narrationem de Aegeo instituerit, tribus nunc verbis adumbrare liceat. Aegeus cum Cadmo e Phoenicia profectus Thebis per aliquod tempus habitavit. Deinde mutatis laribus Athenas migravit ibique Theseo filio suscepto splendidissimam Aegidarum Atheniensium stirpem condidit. Postremo quom ingruentibus adversariis regno cedere coactus esset, Athenis relictis, iterum Thebas commigravit. Nec talem virum senectute orba contabescere di immortales passi sunt, sed nova prole auctus Aegidarum Thebanorum gentis, non minus quam Atheniensium splendidae, auctor factus est. Iam his reputatis dubium non erit, cuinam auctori haec in scholiis Pindaricis narratio de Aegidarum Thebanorum et Atheniensium cognatione et sanguinis communione tribuenda sit, sch. Pind. p. 552 init. εἶναι δὲ τοὺς Θήβηθεν Αἰγείδας τὸ ἀνέκαθεν Ἀθηναίους. Habes germanum Androtionem, atque haec verba haud dubie eius fragmentis addenda sunt. Deinde melius etiam nunc intellegitur narratio de oraculo Delphico, quod Aristotele teste Lacedaemoniorum legati acceperant: schol. Pind. p. 552 init. ἐπύθοντο παρὰ τοῦ θεοῦ τοὺς Αἰγείδας συμμάχους λαβεῖν. Articulus τοὺς Αἰγείδας in oraculo positus significat, deum de certa et una sola Aegidarum stirpe cogitasse. Si nulla Thebanorum Aegidarum cum

Atheniensibus omnino cognatio fuisset, deus hunc in modum loqui non poterat. Contra si ambae Aegidarum stirpes ab uno eodemque Aegeo origines repetebant, recte in hunc modum et solita sibi ille ambiguitate vaticinatus est. Quae si recte a nobis disputata sunt, non nimia audacia statuere licebit, Aristotelem quoque in Lacedaemoniorum politia huius sententiae se patronum fecisse, qua Aegidae Athenienses cum Thebanis eiusdem stirpis perhibebantur.

21. Aegeum, Aegidarum gentis parentem, heroem fuisse Neptunium.

Expositum a nobis est, quomodo de Aegeo, Thebanorum Aegidarum auctore et proavo veteres rerum antiquarum scrutatores disceptaverint et ratiocinati sint. Iam ex nostrae quoque aetatis in fabulis explicandis ratione de Aegei natura et potestate verbum addidisse haud fortasse supervacaneum fuerit. Aegeus Thebanus, eodem modo ut Atheniensis, Neptuni forma quaedam et species est, seorsum expressa et propagata, ut fit in Graecorum deis. Neptunum vero deum Thebarum tutelarem fuisse, gravissimi testes affirmant; Hesiod. Scut. 104 τιμᾷ σὴν κεφαλὴν καὶ ταύρεος Ἐννοσίγαιος, || ὃς Θήβης κρήδεμνον ἔχει ῥύεταί τε πόληα. Aesch. Sept. 130 ῥυσίπολις γενοῦ, Πάλλας, ὅ θ' ἵππιος ποντομέδων ἄναξ || ἰχθυβόλῳ μαχανᾷ, Ποσειδᾶν, || ἐπίλυσιν φόβων, ἐπίλυσιν δίδου. Cadmus ipse in fabulis Neptuni nepos fertur, cf. Sch. Apollon. Rh. 3, 1186 Ἀγήνωρ δὲ ὁ Ποσειδῶνος, et Apollod. 2, 1, 4, 2 Λιβύης καὶ Ποσειδῶνος γίνονται παῖδες δίδυμοι Ἀγήνωρ καὶ Βῆλος. Itaque Cadmus cum e Phoenicia profectus Rhodum versus tenderet, gravi tempestate et fluctuum saevitia vehementer iactatus, cum vix salvos evasisset, in Rhodo insula fanum et sacra Neptuni instituit, Diod. 5, 58, 2 κεχειμασμένος δ' ἰσχυρῶς . . . διασωθεὶς ἱδρύσατο κατὰ τὴν νῆσον τοῦ θεοῦ τούτου τέμενος καὶ τῶν Φοινίκων ἀπέλιπέ τινας τοὺς ἐπιμελησομένους. Iam igitur Aegeum qui Neptunium heroem, ex eius dei locupletissimi natura et opibus separatum dixerit, a vero non multum aberrare videbitur. Atque ad hanc sententiam proxume accedere laetus video H. Dondorffium, qui in egregia commentatione: die Ionier auf Euboea, Berol. 1860 p. 38, omnem de Aegaeone et Aegeo in Boeotia et Euboea vicinisque insulis memoriam composuit. Is eximia subtilitate atque ad illa quidem, quae de Androtione supra disputata sunt, maxume convenienter hoc quoque animadvertit, in Boeotia prope Aulidem Scyrum aliquod oppidum fuisse, pari cum insula nomine nuncupatum, Sch. Il. 2, 668 οἱ δὲ ὁμωνύμως δύο Σκύρους φασίν, ὅτι περὶ Αὐλίδα ἡ Σκῦρος. In hac igitur urbe fabulas de Aegeo itidem ut in insula Scyro domesticas fuisse: Aegeum Scyrii filium fuisse, e Scyro urbe Athenas eum commigrasse, denique exulem Athenis pulsum ibi rursus eum senectae sedem cepisse.

Sed haec interim satis sint de paradoxis Thebanis.

AVCTORVM LOCI QVI IN COMMENTATIONE ILLVSTRANTVR